



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita Venerabilis Arnesti, (vulgò Ernesti) Primi Archiepiscopi Pragensis

Balbín, Bohuslav

Pragæ, 1664

Illustrissimis Sac. Rom. Imp. Comitibus, Dominis Dominis, Illvstrissimis
Liberis Baronibvs ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-42763

ILLUSTRISSIMIS SAC. ROM. IMP.
COMITIBUS,
DOMINIS DOMINIS,
ILLUSTRISSIMIS LIBERIS BARONIBVS,
PERILLVSTRIBVS ET GENEROSIS EQVITIBVS,
PATRIÆ PATRIBUS;
AMPLISSIMIS, ORNATISSIMISQVE CIVITATVM
PRIMORIBVS AC CIVIBVS;

Totique adeò

COMITATUI GLACENSI.
DOMINIS ET PATRONIS MEIS PRÆCIPVA
VENERATIONE COLENDIS,

Salutem, fælicitatem, securitatem ac omne bonum.

Ngeniosa Græcia antiquitas, quæ sub
fabularum involucris sapientiam
occultare & docere solebat, magnum
quondam certamen Neptunum in-
ter & Palladem exarsisse confinxit; cùm Regio-
nem Atticam uterque sibi assererent, & nominis
imponendi arbitriũ arrogarent. Res ad Deorum
concilium delata, & magnâ partium ambitione
jactata, in hunc tandem modum convenit: uter
Deorum utilius quidpiam generi humano
procreavisset, is Atticam ut obtineret. Ibi
Neptuno, ut habet Virgil. I. Georg.

Fudit Equum magno TELUS percussa tridente;

quod animal propter bella horrida natum, tantâ admiratione & commendatione Deorum acceptū fuisse dicitur, ut omnes victoriam tacitè Neptuno tribuerent, quidam etiam gratularentur. At Pallas, cū fortè ad blandissimum fontem haste suæ innixa constitisset, ingenij securitate, consiliūq; fiduciā subridens, in herbida humo, inter formosissimos flores, innocentem & virentem Oleam jussit existere, quæ paulatim ab humo ascendens, & jam ab exortu suo mater, ramis, foliisq; latissime diffusis, baccis lucentibus, tota pretioso liquore madens & persuens, sic Iudices rei novitate, tum præsentis & futurâ in mortales omnes utilitate, ac tandem perpetuo in Deos ipsos arâq; beneficio affecit, ut primâ illâ suâ credulitate damnatâ, omnibus sententijs Palladem vicisse pronunciarent, eiq; Atticam condonarent. Stetisse hanc oleam, tantæ victoriæ monumentum, ad sua usq; tempora in arce Athenis affirmat nobilis Græciæ Scriptor Pausanias, neq; bello Persico dum arderent omnia, flammis aboleri potuisse,

tra-

tradit, qui eam postea vidit, noster Tullius. O felix & dignum Athenis commentum! nimirum mitem Pacis Olivam, Bello (cujus imago Equus est) prætulere sapientissimi homines, & Deorum judicio suffragante, pacata Græciæ certamina, lubricationes eruditorum ac lucernas, cruentis & belluinis sulphuratorum hominum conatibus, qui, ut Plotinus vetus Scriptor ait: Pacem ipsam, si coelo descenderet, optarent occidere.

Sed jam fabulis ad Ovidium aut Æsopum missis, in rem præsentem, quasi ex peregrinatione, redeamus: Ego, Illustrissimi & Perillustres Ordines, cum circumspicerem, cuinam laudatissimi Præsulis Arnesti vitam à me conscriptam offerrem, aut in cujus tandem nomine Librum meum apparere oporteret, inspecto fortè sacro ejus Tumulo, animadverti continuo, quid à me sanctissimus Præsul postularet. Videtisne gentilitium Arnesti Equum apud Vos è marmoreo ejus sepulchro salientem? Neptuni igitur pro Attica certantis vobis veniat in mentem. At contra: legis-
tisne in Majorum annalibus, aut à Patribus ve-

stris accepistis, Oleum ex eodem Arnesti sepulchro sæpius profluxisse, idq; tantâ copiâ, ut non velleribus sed cochlearibus ab humo colligi posset? Habetis igitur Olivam Palladis ab Arnesto, renovatûmq; Deorum certamen, adeoq; gemine beneficio superati, & quasi empti estis; & si ve Oleam, si ve Equum malitis, in Arnesti tamen tutela stare Vos meminisse debetis. Nam si uno virentis Oleæ ramo Minerva Athenas obtinuit, an Arnestus, qui sicut Oliva fructifera in domo DEI, & Matris ejus persistit, in tanta præsertim olei copia, Glacium non mereatur, qui non Olivam Palladis modò, sed Equum etiam Neptuni Vobis ostendat è tumulo? ut merito à gratissimis hominibus Majoribus vestris pro Indigete & Præstite Regionis vestræ sit habitus, & publicâ Populi voce (ut postea probabo) consecratus. Igitur quemadmodum de Pallade narratio ad Athenienses pertinet, & ipsa Pallas debetur Athenis, sic Glacium Arnesto, & Glacio debetur Arnestus. Satisne jam probatum est (Illustrissimi & Perillustres Ordines) Arnesti vitam
Vobis

Vobis præcipuè, Nominique vestro dedicari debuisse? Super sunt etiam majora caussarum momenta: Pater ejus, vestri Comitatus Præfectus, atque, ut tunc vocabant, Castellanus fuit; Fratres ejus Smilo & Wilhelmus in Nobilitate vestra censi, complures in Comitatu pagos ditio tenuerunt; ipse Arnestus apud Vos Glacii educatus, bonis litteris operam dedit; Beatissimam Virgine è Statua sua Glacensi monete, ad omne Virtutis decus exarsit; Glacium semper amavit; Templum pulcherrimum honori Beatissimæ semper Virginis ab Angelo salutata ad Arcem Glacensem condidit; Cænobium ditissimum fundavit; Templum inferius Assumptæ Virgini sacrum beneficijs, et censibus æternis, ac honore quotidiano sacrorum auxit; apud Vos supremam voluntate tumulari voluit; et quoties calamitas immineret, ex tumultu significavit; à Majoribus vestris primum honoratus oleum suum (ita statuente Nuncio Apostolico Rudolfo) stare in Altari, et cum alijs Sanctorum Reliquijs in supplicationibus publicis circumferri spectavit è cælo; denique ad Vos pacificæ

cificæ ramum prætendit Olivæ, & librum
hunc meum ad Vos mittit, Equo suo gentilitio &
Olivâ signatum. Jam si VEN. Præsul, cum Gla-
cij condi voluerit, Glacij quoq; decretorio & su-
premo Mundi die resugere optavit; an judicium
Beati Viri ipse non sequar? ut cum, me gesta ejus
post tot sæcula scribente, Fama Arnesti evoca-
tur è tumulo, & quodammodo resurgit, id Gla-
cij peragatur, Libro Vobis oblato, qui virtutes
ejus, vitamq; describit? Sed & ipse Arnesti E-
quus, & effusum è sepulchro Oleum quandam
mibi (Illustriss: & Perillust: Ordines) digni-
tatis Vestrae representat imaginem, siquidem alij
ex Vobis ad Olivam seu Pacem, ac gubernatio-
nis mitissimæ Regimen, ad Scientias, & bonas ar-
tes; alij ad Equum, ad Patriæ tutelam, ad ma-
gnificentiam, splendorem, ac militares virtutes
nati, quidam in utrumq; parati, & utroq; proba-
ti, omnes ad ARNESTI Equum, vel Olivam
pertinetis. &c.

Te inprimis appello Illustriss: S. R. I. Comes
supreme Comitatus Capitaneæ Joanes Ge-
orgi

orgi de GötZ, Dñe in Scharffeneck, superiore
Steina, Tunschendorff, Breitenbach, Buch-
waldt, Eckersdorff, Neiknirsch & Pfaffen-
dorff, &c. S. C. M. Consiliarie, & actualis Ca-
merarie, qui heroicis virtutes, ab Generoso Patris
tui sanguine instillatas, proprijs deinde facinori-
bus auctas, ita cum Scientijs omnibus, ac Justitia
litterata junxisti, ut non satis videam, cui te par-
ti, Equone an Olex, Bellone an Paci adscribam?
siquidem, velut olim dictū est: Ex utroque Cæ-
sar, utroq; constas. Quòd si tamen tot Scientias,
mitissimam in pace Justitiam, perpetuam in So-
cietatem Nostram benevolentiam, in omnes lit-
teratos amorem, in Marianam Sodalitatem stu-
dia, Religionem ac Pietatem in DEI Matrem
(ad quam Glaciò Wartam usq; milliare au-
reum Sacellis plurimis edificatis deducis) aliq;
his similia inspicimus, profectò suspicio oborie-
tur Olivam Te quoq; ut olim in fabulis DEOS,
Equo prætulisse.

Hunc passibus equis, cælestiq; gradu consequi-
tur Illustris: D. Joaões Fridericus S. R. I. Co-

b

mes

mes de Herberstein, Baro in Neüburg & Gut-
tenbag, Dominus in Lankovvicz, Arnsdorff,
Steüfendorff, &c. Cubicularius & Dapifer He-
reditarius in Carinthia, S. C. M. Consiliarius &
Cubicularius, actualis Camerarius, Aulicorum ac
Provincialium Judiciorum in Ducatu Styriae, uti
& in Comitatu Glacensi Assessor. Sed liceat mihi
Illustrissime & plurimis titulis honoratissime,
mihi privatim benevolentissime, totiq; Societati
amicissime Comes, liceat, inquam, Orationem
ad Te meam convertere. Tuus magnus ille ani-
mus, & omnis Gloriam capacissimum pectus, vetu-
stissima illa Herbersteiniorum decora, Bellis
Turcicis precipue parta (ut in historijs legimus,
& in clypeis gentis tuae videmus) tum etiam pa-
cificas illas Majorum Tuorum in utraque Repu-
blica dignitates, in vera Religione aeternam con-
stantiam, Pietatem, rerum caelestium aestimatio-
nem, aliasque virtutes ad amissim expressit, ut
& optimus bello, & non minor in Pace ab omni-
bus habearis, ac proinde ad utramque, seu Equi
seu Olivæ, gloriam natus. Qui magnus esse
vult,

vult, ait ille, cum magnitudine com̄ercium
habeat oportet: magnificentia in aedificationi-
bus Tua, Aula splendor, elegantia & nitor in sa-
cris juxtà ac profanis, perfecta & numeris omni-
bus absoluta magnitudinis cujusdam species etiam
à Cellissimis & Eminentissimis Principibus,
qui apud Te sæpius sunt hospitati, laudem &
commendationem expressit.

Tertium Nobilitatis in Comitatu Principem,
Comitem ab Altham per libenter hinc adjunge-
rem, si ætas tenera, & quæ tutelam postulat, non
obstaret; adhuc velut Olea domi custoditur; at
tempus erit, cum ijs effulgebit virtutibus, quæ
Althamijs immortale in historia nomen pepere-
runt.

Ad Regium officium, quod primæ dignitatis
Tribunal censetur, ante omnia accedendum erat;
cujus caput Illustrissimus D. D. Joannes Ge-
orgius S. R. I. Comes de GÖTZ, quem antè no-
minavi, Vicarium habet in hoc munere Illustrif-
simum D. D. Bernardum L. B. de Stiefriedt
& Rathenicz, Dominum in Neiroda, Zaug-
heltz,

heltz, Königsvald, &c. S. C. M. Consiliarium,
& Provincialium Judiciorum Assessorem, virum
per vetustâ in hoc Comitatu Nobilitate, cujus sin-
gularē prudentiam, liberalitatem, hospitalitatē,
animi generosi quandam antiquam, ut ita dicam,
germanitatem, tranquillitatem mentis semper
sibi constantem, universi suspiciunt & mirantur.

Fam in eo, quod dixi, Tribunali Perillustr:
ac Gener: D. Emondus de Götten, Dominus
in Kislingsvalde, S. C. Maj. Consiliarius, &
supremus in Comitatu Regens, quantum obtinet
Dignitatis? cū aureis gradibus, ut ait ille, ad
Aulam ascendatur, huic ingenij perspicacis soler-
tia, longum consilium, linguarum plurium scien-
tia, alięq; animi dotes, multis peregrinationibus
excultę, pridem ad Aulam Casareā iter aperue-
rant, nisi serenam & illimem quietem turbidis
negotijs anteferret.

Hic ego Te Perillustris & Generose Eques
Wolfgange Henrice à Schenckendorff &
Mühlgast, in Tunschendorff & Ludovigsdorff,
S. C. M. Consiliarie, & Tribunalis Regij, ac
Pro-

Provincialis Judicij Assessor, sinè piaculo præterire non possum: Ad Equum Arnesti, & ad arma pertinere Te quoq; dicerem, si generosum animum, ac Nobilitatem per antiquam spectare vellem, quæ ante ducentos propè annos ex Marchia Brandeburgica (ubi plures gentiles Tui & Stirpis Tuae supersunt) in Silesiam ascendit; at me Olea Tua pridem trahit. Nota sunt Almx Universitati Pragensi studia Tua publicis honoribus & varijs experimentis comprobata, nota Juris scientia, notæ interiores ac laureatæ litteræ, nota jam Comitatus universo Consiliorum maturitas, boni communis amor, Reipublicæ charitas & defensio palàm suscepta. Quid multa? terrenis adjiciamus cælestia: si DEI Mater Oliva misericordiæ rectè dicitur, ejusque nomen oleum effusum (quod ARNESTUS noster in Mariali in Oliva disertè probavit) nemo tibi Olivam eripere potest, cui tu Glacij crescendi facis copiam in Latina B.V. Sodalitate, quam singularibus beneficijs, amore, & favore jam olim prosequeris. Societatem verò Nostram, Lit-

terarum & Olive Palladiæ nutricem, quanti fa-
ceres, & olim Pragæ adversus insanientem, &
magno ore loquentem calumniam probavisti; &
nunc amore, tot annos continuato, auxilijs item,
consilijs ac sententijs, privatim publicèq; demon-
stras. Plura adferrem, nisi timerem nè laudes
tuas ipsâ copiâ corrumpam.

Te verò Prænobilis & Clarissime Dñe,
qui Regio huic Tribunali à Secretis es, Ludovi-
ce Schambogen, libenter nomino! Tuo publicè
auxilio, privatim etiam doctissimâ familiaritate
pridem sum usus! Tua omnibus, ac Civibus præ-
cipuè, parata semper humanitas, spem facit (ut
Poëta canit) hoc recipi me quoq; posse mo-
do; Tu Virgini Beatissimæ totis sensibus addi-
ctus, Arnesti in Deiparentem amorem non mi-
raris modò; sed, quod præstantissimum amoris est
genus, etiam imitaris: faciles itaq; aditus ad Te
Liber habebit.

Jam è Regio Tribunali, quod Regis sui radijs
illustratur, ad Judicium, quod vocant Provin-
ciale, faciamus gradum. Quæ in eo vetustæ No-
bili-

bilitatis, Prudentia, Pietatis, Religionis, misericordis Justitiæ, justæ Misericordiæ decora invenio? quot nomina tot virtutes! at ego non Panegyrim, sed Epistolã scribo. Sunt in eo Illustrissimi Barones Stredele de Montani, sunt de Morganthe, sunt Ullersdorffij, notissima veteribus Bohemis ac Moravis gens, ut Comitiorum apud Bohemos acta testantur; sunt Reichenbachij, Opibus, ac Reipub. Militiaeq; honoribus in Silesiæ Annalibus celebrati; sunt Donigij (ante trecentos jam annos Ratuldi de Danicz appellati) quorũ liberalitate Glacensis Parochialis templi leva pars (ut insignia in fornice sculpta testantur) erecta est; sunt Ampassek, & quo uno, velut gemmã sigillari, Judicium hoc concludo, Antonius Maximilianus de Conietz in Wiewlaw, totius Comitatus Protonotarius & Quaestor. Quòd si alios quoq; Perillustres Viros, hisce quos nunc attuli, Nobilitate nihilo inferiores, nominare vellem, quantus aperiretur campus dicendi? Video Panwicios, quibus Arnesti nomen pridem placuisse, & nunc etiam placere scimus, antiquissi-

tiquissimo genere in Bohemia ortos; lego Rafzios, Haugwicios, quæ stirpes generosissima, ex nostra Bohemia deductis colonijs, in Comitatu confederunt; lego Tschiswicios, Saalhausios, & qui Werder, Deichsel, Giestner, Wiesen vocantur; aliosq; plures, nobilitate, ingenio, doctrinâ, morum facilitate, gratiâ, & dignâ nobilibus animis humanitate spectatos! quales Hofer, Ebner, Fitsch, Edelstein, Hem, Degenheim, Frobel, Piene, Drescher, Klinckowsky, Partsch, Zeisberger, Spick, Wolter, Köppel Krümkriger &c. Comitatus vester commendat. Communis istorum omnium esse debet Arnestus, cum in eorû Nobilitate & vivens & moriens censerî voluerit; his Equû ad cultum armorum, illis Olivam Pacis Comitem excitârit & donârit, ut Ernesti omnes, id est serij, generosi, consilio manûq; prompti, pro Religione, pro Patria, pro Rege ac populo vigilarent, ac dimicarent. Neq; à Civitatibus, ac præcipuè Regiâ urbe Glacensi ARN. meus alienus à quoquam debet existimari, qui Glacij educatus, domum etiam paternâ in ea urbe

urbe habuerit, ut meritò Civis nomen mereatur.

Habetis Illustrissimi, Generosissimi, Ornatissimique DD. titulos ac causas, cur mea, hac & Nova de VEN. Archiep. Arnesto narratio vobis potissimum debeat. Accipite Illustrissimi ac Perillustres Comitatus Proceres eâ comitate, quâ soletis, munus hoc meum, imò jam vestrum; & Arnestum è sacro suo Tumulo procedentem in publicum, Præsulem vestrum, & Patronum veneramini. LEO ille marmoreus, qui ad pedes Arnesti pervigil jacet, ac tumulum servat, non suæ tantum Bohemix, sed Urbis Glacensis etiam (quæ Leonem in clypeo gerit) amorem & obsequium representat. Arnesti gloriosum sepulchrum, quod ad calamitates vestras non semel sudavit; marmor illud, quod ad luctus vestros rumpitur, Fatum quoddam hujus inclyti Comitatus & thesaurus est; nihil sanè novum in tumulis thesauros latere. Equellus ille, quem videtis ad tumulum, crescente alarum remigio, jam jam evolabit, & velut Equus Famæ, aut Musarum Pegasus, gloriam vestram, Arnestum

C

vide-

videlicet, per terras portabit; Vos pijs plausibus,
letiq; ac festo clamore prosequimini! Ita Vos è
cælo vester servet Arnestus! ita pro Vobis vel in
tumulo vigilet! quodq; Romulus, cælum ascen-
dens (ut Plutarch in Romulo memorat) repe-
rat: Ego vobis propitius adero Quirinus!
At quid ego? vota publica esse, & publicâ concipi
voce debent: Divina Majestas, cujus misera-
tiones super omnia opera ejus, precante in
cælis Arnesto, & Olivam prætendente, hæc pe-
riculosa nomini Christiano bella, & infrænes bar-
barorum Equitatus à cervicibus nostris avertat,
Vosq; & Comitatum Vestrum, totumq; Bohemice
Regnum, & bello jam ardentes Provincias, O-
livâ gloriose & opime Pacis recreet! Quòd si ta-
men bella populo Christiano gerenda sunt, Olivâ
in Palmam, Victoriâmq; commutet. Ita vove-
bam Præge A. 1663. 30. Junij, quo die ante Annos
299. VEN. ARNESTUS è vivis excessit.

Vester

Illustrissimi, Perillustres, Generosi, Ornatissimiq;
Domini Domini

Servus in Christo

BOHUSLAUS ALOYSIUS BALBINUS,
Soc. Jesu Sacerdos,